

*Verbum caro factum est,
et habitavit in nobis.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

1, 1-18

- ¹ **I**n princípío erat Verbum,
et Verbum erat apud Deum,
et Deus erat Verbum.
- ² Hoc erat in princípío apud Deum.
- ³ Omnia per ipsum facta sunt,
et sine ipso factum est nihil, quod factum est;
- ⁴ in ipso vita erat,
et vita erat lux hóminum,
- ⁵ et lux in ténebris lucet,
et ténebræ eam non comprehendérunt.
- ⁶ Fuit homo missus a Deo,
cui nomen erat Ioánnes;
- ⁷ hic venit in testimónium,
ut testimónium perhibéret de lúmíne,
ut omnes créderent per illum.
- ⁸ Non erat ille lux,
sed ut testimónium perhibéret de lúmíne.
- ⁹ Erat lux vera,
quæ illúminat omnem hóminem,
véniens in mundum.
- ¹⁰ In mundo erat,
et mundus per ipsum factus est,
et mundus eum non cognóvit.
- ¹¹ In própria venit,
et sui eum non recepérunt.
- ¹² Quotquot autem recepérunt eum,
dedit eis potestátem filios Dei fieri,
his, qui crédunt in nómine eius,
- ¹³ qui non ex sanguínibus

neque ex voluntate carnis
neque ex voluntate viri,
sed ex Deo nati sunt.

- ¹⁴ Et Verbum caro factum est
et habitavit in nobis;
et vidimus gloriam eius,
gloriam quasi Unigeniti a Patre,
plenum gratiae et veritatis.
- ¹⁵ Ioannes testimonium perhibet de ipso
et clamat dicens:
«Hic erat, quem dixi:
Qui post me venturus est,
ante me factus est,
quia prior me erat».
- ¹⁶ Et de plenitudine eius nos omnes accepimus,
et gratiam pro gratia;
- ¹⁷ quia lex per Moysen data est,
gratia et veritas per Iesum Christum facta est.
- ¹⁸ Deum nemo vidit umquam;
Unigenitus Deus,
qui est in sinum Patris,
ipse enarravit.

Verbum Domini.